intrinsece idem ipse est: nempe ex parte sui æque extensus extensione illa initio explicata, quæ vocari solet virtualis extensio: vel ex parte mundi; & hoc etiam non; quia mundus creatus, vel creatio non infert Deo necessitatem à priori ad existendum in hoc spatio; imo à priori supponit mundus creatus eiusque creatio Deum in eo spatio fuisse; nisi enim fuisset ibi Deus per prius, non ibi potuisset mundum efficere: adde quod mundus non est Deo ratio formalis existendi in hoc spatio, sicut nec Deus mundo; sed quisque per suam substantiam & ratione sui in eo est, vt dixi ad antecedens: at Deus habebat ante mundum conditum quidquid ratione sui iam habet; spatium vero perinde erat tunc ac iam est, nec alio modo est iam quam tunc esset. Nec etiam dici potest secundum, videlicet libere cœpisse existere in hoc spatio: etenim *g* sicut Deus non est liber ad existendum hoc tempore imaginario, ita neque est liber ad existendum in hoc spatio imaginario; nam immensitas non magis quam æternitas cadit sub legem libertatis Dei; sicut neque omnipotentia, vel alia Deo formaliter intrinseca attributa. PR. II.

g *Sicut nec potuit ex parte sui incipere esse in tempore in quo mundus est.*

Neque *h* dicas immensitatem esse quidem intrinsece & entitative necessarium quid, sicut & cætera attributa Deo intrinseca; at terminative, & quoad extrinsecum exercitium, esse quid liberum, seu subiacere liberæ voluntati Dei, quemadmodum omnipotentiam; quæ licet semper fuerit omnipotentia, non tamen semper habuit sed libere cœpit habere exercitium sui: nec enim semper, sed de nouo fuit creatrix; & eodem modo immensitatem semper quidem fuisse immensitatem, sed non semper fuisse vbi iam est quoad exercitium existendi in hoc spatio. Contra enim sic insto, quia ea quæ requiruntur vt Deus complete existat in hoc spatio, sunt prorsus independentia à libera Dei voluntate; ergo &c. Probo antecedens. Illa etenim vel sunt Deo intrinseca puta eius substantia ex se proximæ apta existere in hoc spatio (id est, dicto antea modo extensa actu) at neque hæc, vt euidens est, neque dicta eius aptitudo subiiciuntur libero Dei arbitrio: vel sunt extrinseca Deo, nempe spatia imaginaria; at hæc, cum non habeant esse reale, non possunt etiam ipsa quoad se realiter vt talia sunt, subiici Dei voluntati: & cum non subiiciantur vt talia sunt, non etiam possunt subiici quoad denominationem extrinsecam, qua Deum iam secundum se & vi suæ entitatis substantialiter existentem cum sua illa iam dicta virtuali extensione, denominant formaliter ibi prout ibi existentem; impossibile enim est stante forma denominante, & subiecto denominabili, cum requisito illius ad istud conuenienti respectu, non vigere formaliter actualem denominationem. At 1 respectus ille requisitus adest (similis cum proportione ei quem prop. 5 dixi respectum seu coniunctionem actualem continentis & contenti) necessario, hoc ipso quod adest necessario spatium extensum; & Deus pariter dicto modo extensus ab eo abesse nequit: deinde exercitium immensitatis quoad hoc quod est esse in hoc spatio, non est vt patet aliud quam formalis hæc actualis denominatio: ergo immensitas neque quoad se intrinsece, neque quoad extrinsecum hoc exercitium sui, subiacet liberæ Dei voluntati.

h *Nec valet dicere immensitatem in sui quasi vsu dependere à voluntate sicut dependet omnipotentia.*

Neque *i* etiam dicas formam quæ extrinsece denominat Deum existentem in hoc spatio, non esse ipsum spatium imaginarium solum, cùm hoc nihil sit; sed esse spatium reale, nempe mundum creatum, adeoque cœpisse de nouo eam denominationem, & cœpisse libere; sicut mundus & cœpit, & dependenter à Dei libertate cœpit. Non, inquam, id dicas tum quia denominatio qua mundus dicitur existens in hoc spatio, non petitur ab aliquo alio spatio reali, quia nullum aliud est; ac proinde euidenter petitur à solo imaginario: hinc autem infero, posse ab hoc ipso pariter denominari Deum existentem ibi: tum etiam, quia aliud est Deum existere in mundo, & aliud Deum existere in spatio in quo mundus est; sicut aliud est mundum existere in Deo (sic enim loquuntur Patres, vt quando mundum spongiæ, Deum autem mari comparant) & aliud mundum existere in spatij parte in qua est à Deo conditus: & cùm hoc ita sit; ratio formalis denominans mundum existentem in hac parte spatij, non est Deus secundum sua intrinseca, sed est ea ipsa sola pars spatij: ergo à pari ratio formalis denominans Deum existentem in eadem parte spatij non est mundus, sed eadem pars spatij. Ergo cum Deus secundum se & ratione sui existat iam cum mundo in hac ipsa parte spatij (vt fuit paulo ante conclusum in probatione antecedentis) perinde ratione sui, & insuper ratione spatij, existeret in hac eius parte secluso etiam mundo: vt enim iam ostendi non à mundo prouenit formaliter denominatio Dei existentis in hac parte spatii. Et quia ante mundum conditum Deus quoad se, & spatium etiam quoad se, & ambo ad inuicem eodem prorsus modo se habebant, quo iam se habent à mundo condito; idem autem manens idem semper natum est facere idem: sequitur Deum æque ante mundum conditum fuisse & extitisse, seu potuisse denominari pro tunc existentem in hac parte spatii imaginarii in qua mundus est; quod fuit secundo loco probandum.

i *Neque etiam dicere potes Deum existentem in spatio denominari solum à spatio reali.*

Nunc demum probo primi superius facti argumenti secundam consequentiam, in qua consistit prima pars propositionis. Sic argumentor. Deus *l* potest existere in spatio extramundano; ergo & iam actu in eo existit. Antecedens patet ex dictis; tum quia spatium extramundanum,

l *Deus existere potest in spatio*